1437

In dei nomine. Noverint universi. Quod Ego Bernardus dequeralt mercator Civis Barchinone filius ven. Ludovici dequeralt mercatoris Civis dicte Civitatis et ven. domine Elienoris eius uxoris. Et etiam ego Ludovicus de queralt mercator Civis dicte Civitatis pater dicti Bernardi dequeralt. Confitemur et recognoscimus vobis venerabili Francine Domenelle quam deo volente ego dictus Bernardus ducturus sum in uxorem filie venerabilis Ludovici bertrandi quondam mercatoris Civis eiusdem Civitatis et venerabilis domine Caterine que fuit uxor eiusdem viventis presenti quod habuimus et recepimus a vobis sive pro vobis in dotem vestram et pro dote vestra ac nomine dotis vestre Undecim Mille solidos barchinone de terno. Scilicet Sex Mille Septingentos solidos quos dictus dominus pater vester vobis legavit et Mille solidos qui cum ipsis lucrati et avanzati fuerunt et residuos Tres Mille Quadringentos solidos ad complementum dictorum Undecim Mille solidorum quos dicta domina Caterina mater vestra vobis donavit contemplatione presentis matrimonii pro tota parte hereditatis et legitime ac aliis iuribus vobis pertinentibus in bonis suis ut latius continetur in instrumento dicte donationis vobis facto in posse notarii infrascripti die presenti recepto. Et ideo Renunciando exceptioni pecunie non numerate et dotis predicte non habite et non recepte et doli mali et actioni in factum et omni alii iuri racioni et consuetudini contra hec repugnantibus propter hanc dotem a vobis habitam facimus vos nobis et predictum tradita facimus vobis augmentum sive donationem propter nuptias de bonis meis de Quinque Mille Quingentis solidis dicte monete. Et sic sunt in summa omnes dicti denarii inter dotem et augmentum sive donationem propter nuptias Sexdecim Mille Quingenti solidi quos vobis et vestris assignamus et assecuramus in et super omnibus et singulis bonis meis et utriusque nostrum insolidum mobilibus et immobilibus ubique sint et habeantur. Quosque promittimus vobis et vestris solvere restituere et tornare in omnem casum et eventum restituendi et solvendi dotis vestre predicte et augmenti sive donationis propter nuptias [illegible] inveniemini videlicet cum restitutionem et solutionem ipsius dotis et augmenti sive donationis propter nuptias locum assit. Sine aliqua videlicet dilatione exceptione et expensione et absque omni dampno interesse et missione viri et vestri. Et habeatis teneatis et possideatis omnes predictos Sexdecim Mille Quingentos solidos dotis vestre et augmenti sive donationis propter nuptias toto tempore vite vestre cum marito et sine marito cum infante et sine infante et absque vitio et contradictione mei et meorum et alicuius Curie et persone. Et quod ex predictis Sex Mille [illegible] Quingentis solidis dotis vestre et augmenti sive donationis propter nuptias possitis testari et vestras facere voluntates de dote vestra Undecim Mille solidorum dotis vestre predicte Si et tamen quo decesseritis cum infante seu infantibus de legitimo et carnali matrimonio procreatis Si vero vos mori contingerit sine dictis infante seu infantibus de legitimo et carnali matrimonio procreatis possitis testari et vestras facere voluntates de dictis Tribus Mille solidis per dictam dominam matrem vestram ut predicitur vobis donatis et de dictis Mille Quadringentis solidis qui adiuncti fuerunt cum dictis Sex Mille Septingentis solidis Residui vero Sex Mille Sex centum solidi sequantur et sequi habeant voluntatem et conditionem vobis per dictum dominum patrem vestrum in eis de apposita et apposita in legato proprio vobis facto. Dicti vero Quinque Mille Quingenti solidi de quibus vobis facimus augmentum sive donationem propter nuptias revertantur post obitum vestri infanti vel infantibus quos de me dicto bernardo in vobis procreari et cum superstites fuerint. Quibusquidem infanti et infantibus nos ipsos Quinque Mille Quingentos solidos de quibus vobis facimus augmentum sive donationem propter nuptias in casu predicto eorundem donatione conferimus et assignamus in manu et posse notarii infrascripti ut infrascripti stipulantis. Et si forsan die obitus vestri tales infans seu infantes mei dicti bernardi et vobis communes et superstites defuerint quod deus avertat tunc ipse casu sint et revertantur ipsi Quinque Mille Quingenti solidi de quibus vobis facimus augmentum sive donationem propter nuptias mihi dicto Bernardo dequeralt si vivus fuero sin autem heredibus meis aut illi vel illis cui vel quibus ego voluero vel ordinavero [illegible] verbis vel testamento aut alio quovis modo. Et pro his omnibus et singulis complendis et firmiter attendendis tenendis et observandis obligamus vobis et vestris omnia et singula bona nostra et utriusque nostrum insolidum mobilia et immobilia ubique sint et habeantur. Renunciantes quantum ad hec beneficio novarum constitutionum et dividendarum actionum et consuetudini Barchinone loquenti de duobus vel pluribus insolidum se obligantibus et omni alii iuri racioni et consuetudini contra hec repugnantibus. Et ut predicta omnia et singula maiorem gaudeant firmitatem non vi nec dolo sed sponte iuramus in animas nostras per dominum deum et eius sancta quatuor Evangelia manibus nostris corporaliter tacta predicta omnia et singula attendere et complere tenere et observare et in aliquo non contrafacere vel venire aliquo iure causa vel etiam racione. Hec igitur omnia et singula supradicta facimus paciscimur et promittimus nos dicti bernardus dequeralt et ludovicus dequeralt vobis dicte Francine et vestris necnon et notario infrascripto ut publice persone pro vobis et vestris et pro aliis etiam personis omnibus quarum interest et intererit recipienti et paciscenti ac etiam legitime stipulanti. Actum est hoc Barchinone [illegible] die mensis ffebroarii Anno a nativitate domini Millesimo Quadringentesimo Tricesimo Septimo. Signum nostrum Bernardi dequeralt et Ludovici dequeralt predictorum qui hec laudamus firmamus et iuramus.

Testes huius rei sunt venerabiles Petrus davallo mercator Franciscus de pedralbis magister in medicina et Gispertus ballistarii mercator cives Barchinone.

Sig+num Anthonii brocard auctoritate Regia notarii publici Barchinone qui hec scribi fecit et clausit.

Conditor omnium deus cum in mundi sui ortu creasset de nichilo [illegible] viri dominium feminam fecit mulierem et hos duos factos unum esse debere mostravit ipso attestante qui ait quilibet homo patrem suum et matrem et adherebit uxori sue et erunt duo in carne una. Qua propter in dei nomine Ego Bernardus dequeralt mercator Civis Barchinone filius venerabilis Ludovici dequeralt mercatoris Civis dicte Civitatis et domine Elienoris eius uxoris procreandorum filiorum causa in sponsam accipio eligo nomine Francinam Domenelle filiam venerabilis Ludovici bertrandi quondam mercatoris Civis dicte Civitatis et domine Caterine eius uxoris viventis. Quod est actum Barchinone [illegible] die mensis ffebroarii Anno a nativitate domini Millesimo Quadringentesimo Tricesimo Septimo. Signum mei Bernardi dequeralt predicti qui hec laudo et firmo.

Testes huius rei sunt venerabiles Petrus davallo mercator Franciscus de pedralbis magister in medicina et Gispertus ballistarii mercator cives Barchinone.

Sig+num Anthonii brocard auctoritate Regia notarii publici Barchinone qui hec scribi fecit et clausit :.-

Sit omnibus notum. Quod Ego Bernardus dequeralt mercator Civis Barchinone filius ven. Ludovici de queralt mercatoris Civis dicte Civitatis et domine Elienoris eius uxoris. Confiteor et recognosco vobis Francine sponse mee future filie venerabilis Ludovici bertrandi quondam mercatoris Civis dicte Civitatis et domine Catherine eius uxoris viventis. Quod dedistis et solvistis mihi bene et plenarie ad meam voluntatem in tabula cambii Civitatis Barchinone omnes illos Undecim Mille solidos Barchinone de terno quos vos mihi dare et tradere promisistis in dotem vestram et pro dote vestra ac nomine dotis vestre et de quibus seu ex firmavi vobis dotale instrumentum in posse notarii infrascripti [illegible] die mensis ffebroarii Anno a nativitate domini Millesimo Quadringentesimo Tricesimo Septimo quod vobis cum presenti [illegible] laudo et confirmo. Et de quibus etiam vos et dicta domina Caterina mater vestra mihi fecerant debitorium instrumentum in posse notarii infrascripti proxime dicta die [illegible] nomine obligati venerabiles Ffranciscus bertrandi et Raymundus bertrandi [illegible] quod cum presenti [illegible] et pro cancellato et nullo haberi volo taliter quod mihi nec meis prodesse nec vobis nec vestris nec dictis ffideiussoribus obesse valeat ullo modo. Et ideo Renunciando exceptioni pecunie non numerate et non solute et doli mali et in factum [illegible] facio vobis fine apocha de solutis. Actum est hoc Barchinone vicesima [illegible] die mensis Marcii Anno a nativitate domini Millesimo Quadringentesimo Tricesimo Septimo. Signum mei Bernardi de queralt predicti qui hec laudo et firmo.

Testes huius rei sunt Bernardus xpiani mathalafarius Civis et Petrus [illegible] scriptor Barchinone.

Sig+num Anthonii brocard auctoritate Regia notarii publici Barchinone qui hec scribi fecit et clausit :.-

Barcelona
1437